

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

FERIS,

Quam

Divinâ Favente Gratiâ

EX DECRETO ET AUTHORITATE

Magnifici, Nobilissimi & Clarissimi JCtorum
Ordinis in Inclyta & Perantiqua Electo-
rali Academia Heidelbergensi.

MODERANTE

Viro Nobilissimo & Consultissimo

Dn. GEORGIO GISBERTO
GLÖCKNER,

J. U. D. & Instit. Imp. in Famigeratissima hâc Universita-
te Profess. Ordin. Patrono ac Promotore suo
æternum Colendo , Venerando.

PRO LICENTIA

Summos in Utroq; Jure Honores Privilegia
ac Insignia Doctoralia ritè & legitime
consequendi.

Publico & Eruditorum Examini, ac placidæ Censuræ
exhibet

GERHARD EICKHOLT ,

Marcô Hammonensis Westphal.

Diss. jur. civ.

ad diem xvii. Decembr. H. L. Q. S.

64,18

os HEIDELBERGÆ, se

Lum. GUILIELMI VVALTERI, Acad. Typogr.

ANNO M DC LXIX.

F. I. 483.

7.



PRO E M I U M.

Emo , qui tantum à limine Juris-prudentiam salutavit , ambigit , dupl icem esse modum acquirendi rerum Dominia, alterum Juris naturalis , quod est gentium , alterum civilis , §. II. Inst. R. D. l. 23. princ. ff. de R. V. cumque inter modos Jure gentium acquirendi facile antiquissimus , Latissime que pateat Occupatio earum rerum, quæ nullius sunt l. I. ff. de A. R. D. eaque vel violenta, vel non violenta. Hæc uno verbo Inventio §. 18. Inst. R. D. dicitur. Violenta iterum Occupatio commodè in Venatoriam , §. 12. 13. 14. Inst. dict. tit. & bellicam seu hostilem §. 17. eod. subdividitur. Impetratà itaque Veniâ à Magnifico & Amplissimo JCtorum ordine conscribendi Dis-

A 2 puta-

putationem Inauguralem, Materiam de vena-
tione Ferarum præ aliis , cum quotidie ejus
disceptatio in foro frequen tetr, selegi, quam
non quidem pro ipsius dignitate, sed pro viri-
bus ingenii mei, ac citrā ullius præjudicium,
adumbrabo. Antequam autem me ad telam,
quām mihi sumpsī, pertexendam, accingam,
Deum qui principium , medium atque Ter-
minus est Actionum nostrarum Nov. 119. ar-
dentissimis votis supplex veneror , dignetur
laborem hunc mihi propositum largifluæ
benedictionis rore conspergere,
atque divinæ suæ gratiæ
jubare illustrare.



I. N.



I. N. D. N. J. C.

*Ad omnia consilia, omnesque actiones
progredimur l. 2. C. offic. Praef. præt.*

THE S. I



E Ferarum Venatione in præsen-
tiarum tractaturus, statim in Venationis
vocabuli ambiguitatem inquirendum cen-
seo. Variis autem modis dicitur venatio.
Quædam enim dicitur *oppressiva* seu violen-
ta hominum, quo sensu Gen. 18. v. 9. Nim-
rod dicitur Robustus venator coram Domino, id est, ut
Glossa interpretatur *in cap. non est 3. Distinct. 6.* hominum
extinctor & oppressor, quos allexit, ut turrim contra Deum
extruxerint. Alia etiam est *adulatoria*, quæ sit ab histrioni-
bus, & similibus, quotiens causa placendi dicunt bona deali-
quo, ipsum falso commendando. Tertia est *arenatoria*
cum quis recipit salarium, ut in arena pugnet cum be-
stiis feris, isque infamia notatur per l. 1. §. 6. vers. & qui
operas. ff. postulando. l. 1. 2. 3. fin. ff. de his qui notat inf. t. t.
C. spectat. & scen. & lenon. lib. II. Quarta dicitur occupati-
va licita, prædictæ enim omnes illicitæ. Noë Meur. Tract.
von Jagten / part. 7. fol. 112. quam faciunt homines cum ca-
nibus vel avibus, ad Bestias vel ad Aves. &c. capiendas.

A 3

TH.

TH. II.

Postrema significatio , cui pro instituti ratione insitendum, sumitur 1. Latè, ut etiam juxta §. 12. *Inst. R. D.* à Justiniano propositum, in se & piscationem & aucupium contineat. 2. Strictè, aucupio & piscationi opposita, ut pro triplici objecti diversitate tres sint ejus species : Venatio in specie , quæ est ferarum sive bestiarum. Piscatio quæ piscium, & Aucupium quæ avium.

TH. III.

Illud etiam monendum , non esse Synonima *jus venandi* & *jus Foresti*. Hæc enim inter se differunt ut totum & pars , nam forestalis Jurisdictio ex receptâ Germaniæ consuetudine non ferarum tantum consecrationem & occupationem, *ut venatio* sed alia etiam maximi momenti jura in se continet, vt jus constituendi saltuarios (*vie Forstmechte*) jus transgressores pignorandi & multandi, jus fructus sylvestres percipiendi. Hinc diversa officia constituta **ein Forstmeisters vnd Jägermeisters Andr. Knichen. de investitur. pact. part. 2. cap. 2. num. 53. Ludov. Gilhaus. arbor. Judic. cap. I. part. I. de Jurisd. num. 87.**

TH. IV.

Est autem Venatio in specie sic dicta ferarum quadrupedum seu terrestrium in libertate naturali reliistarum seu liberè vagantium capture, omnibus Jure gentium permissa *Dn. Struvius. Exer. 41. Thes. 9.*

TH. V.

Non igitur recte i. Venatio , ad servitutem personalis seu usumfructum refertur, cum usufructus cum persona cui debetur, extinguatur §. 3. *Inst. de usufr. l. 3. §. ult. ff. quibus modis fructus. omit.* & jus Venationis sua naturâ perpetuum

petuum & ad heredes transitorium. *Andreas Gail.* I. Obs. 65,
num. 2. *Hahn.* in *Observ. ad VVesemb. de A. R. D.* num. 7. vers.
in fructu. in fin. Nec 2. Realibus servitutibus rectè accen-
setur, cum omnes servitutes reales principaliter ad prædii
Dominantis utilitatem spectent, l. 38. ff. *de S. V. S. l. 5. in pr. de S.*
P. R. Sutholt. dis. 5. aphor. 14. hinc mihi ut pomum decerpam,
spatier, cœnem in alieno, Servitus realis constitui nequit,
l. 8. ff. *de Serv.* nihilque utilitatis ab castrum vel civitatem
principaliter redit. Præterea Omnis servitus est in re aliena
l. 26. ff. *de S. V. P.* Jus verò venandi competit non sem-
per in re aliena, sed in sua, ut si quis Jure feudi adeoque
utilis Dominii venationem habeat, *Bachov. ad Treutl.* vol.
2. Dis. 20. Thes. 3. lit. C. *Hahn. ad VVesemb. d. l. num. 7. vers.*
& *hec. in fin. Harpr. ad §. 12. I. de R. D. num. 136.*

TH. VI.

Impropriè tamen pro servitute Reali in eo sal-
tem haberi potest: quod interdum instar servitutum rea-
lium. à sylva, tanquam prædio serviente debeatur castro, vel
villæ, tanquam fundo dominanti, & ad hæredes transeat. Et
cum consuetudo sit optimia Legum interpres *Text. in cap.*
cum dilectus de consuetud. l. 37. ff. *de leg.* eamque notissimam
Germaniæ consuetudinem præjudicio affirmet *Gail.* 2. obs. 66.
22. cum magis subtiliter quam utiliter disputetur, Jure me-
rito ea servanda, *Noe Merur. Tract. de Jure forresti part. 2.*
fol. 15. & 30. *Geor. Mor. Tract. de jur. ven. part. 2. cap. 3.*
num. 4. 5. 6.

TH. VII.

Nec servitus Jurisdictionalis esse potest, cum Juris-
dictio sit potestas Juris dicendi, l. 3 *de offic. eius, cui mand. t. t.*
ff. de jurisd. Concessa enim Jurisdictione non concessa videtur
venatio, concessa tamen castro cui jus venandi debetur,
ipsa

38. 187. 50

ipsa venatio haud dubiè concessa, ratio in §. 26. Inst. de R. D.
Georg. Mor. dict. tract. part. I. cap. I. num. 18. & part. 2. cap. 3.
num. 7.

TH. VIII.

Denique nec Regalibus accensenda, Suth. diss. 4. corr. 5. quia neq; ad majora neque ad minora referri potest. Nec obstat Text. 2. feud. 56. Nam in eo nulla fit mentio Juris venandi, sed redditum piscandi, qui ut alii redditus recte Juribus Fiscalibus annumerantur: & aliud est, jus piscandi, aliud piscandi redditus. Licet de consuetudine Germaniæ utrumque & jus piscandi & venandi ad regalia pertinere contendat, post alios Regn. Sixtinus de Regal. l. 2. Cap. 18. n. 32. & 45. cum in investituris quibus regalia conceduntur eorum etiam mentio fiat juxta clausulam, auch mit Wäldern/ Wildbahnen/ Jagten. cui optime respondet Hahn. ad VVesenb. dict. l. num. 7. vers. & hac nunc præcipue ratio, Aliud esse regale aliud illud jus cuius etiam fiat mentio in investitura qua Regalia conceduntur Dissentit Petr. Heiz. quæst. 15. num. 44. Prickm. in Tractat. de Regul. §. Venatio cap. 4. Carpz. Jur. For. part. 3. 32. 18.

TH. IX.

Dividitur autem ratione objecti I. *in superiorem sen inferiorem vel Majorem & minorem vulgo in die hohe vnd nidere Wildbahn.* Ad illam referuntur feræ Majores, vt cervi, apri &c. das hohe schwarze vnd rothe Wildprecht: ad hanc vero feræ minores ut lepores vulpes &c. Hasen/ Füchse/ Aichhörner vnd klein Wildwerck. Præterea Animalia volatilia Vogelfangen/ Hüner/ Stößen/ in quibus tamen distinctio Aucupij quod aliud majus, aliud minus sit groß vnd klein Vogelwerck. præprimis notanda VVehn. in Obs. verb. Vogelwiede/ Vogelherde cum nobiliores ayes (puta Alza-

Alzagenes , Phasiani , Vrogalli , Cygni.) diversimodè à] Dd. & Saltuarijs tum ad superiorem tum ad inferiorem bannum referantur , proinde illud ex consuetudine cuiusque loci dijudicandum.

TH. X.

Objectum ejus sunt feræ bestiæ in naturali adhuc libertate relictæ, ad differentiam earum , quæ mansuefactæ, ut ex consuetudine, abire & redire soleant, quarum naturam ferani esse nemo sanus negaverit §. 15. *Inst. de R.D.*

TH. XI.

Non autem in suo solùm, sed & in alieno , feras bestias capere licet, §. 12. *Inst. de R.D.* cum illud, quod nullius est, ratione natnrali primo occupanti concedatur d. §. 12. & l. 3. ff. *de A.R. D.* nihilque obstat l. 16. ff. *de S. R. Præd.* cùm aliud sit in alieno venari, aliud in eo quid capere , ipsaque prohibitio ipso prohibenti non tribuit dominium, bestiæ enim dum nullo certo loco consistunt, magis aëre quam terra continere videntur. l. 3. §. item feras. ff. *de Acq. Possess.* Aér autem communis est §. 1. *Inst. de R. D.* Ad hæc nulla quoque lege cautum est, ut quod quis in vito domino, capit suum non faciat. Pæna verò privationis, nisi in casibus jure expressis locum non habeat l. 14. §. *divus. ff. de Relig. & sumt. fun. nov. 2. c. 3.* Et, si quod cepit capientis non fiat, quomodo restituere possit ? Contra l. 24. §. *restitutio. 4. ff. de Minor.* Probatur etiam hæc sententia per l. fin. §. *sed cum in secundum. C. de furt.* & quod nullibi, captio prehensioque, sed ingressio solum in alienum fundum prohibita legatur d. l. 3. ff. *de A. R. D. l. non dubium 5. C. de legibus* cum non quod capit feram sed quod contra Domini prohibitionem fundum ingreditur injuriam facit *Giph. ad l. 3. ff. de A. R. D.* nemo enim facit

injuriam , qui capit id , quod ante nullius est. arg. l. 62. ff. de usufructu. l. 3. §. item feras. l. 14. l. 26. ff. de acquir. possess. Duaren. ad l. 3. §. item feras. ff. de acquir. possess. & in l. 16. de serv. Rust. Præd. Donell. 4. Coment. c. 8. in fin. Bronchorst. cent. 3. ass. 76. Pruckm. in §. Venatio. c. 6. & alij Dd. comm. in §. feræ. Inst. de R. D.

TH. XII.

Ex adductis patet , Jure naturali quicquid etiam ex feris captum , capientium fieri , omniaque animalia , quæ Cœlo , Terra , Mari, nascuntur , occupanti concedi, *Text.* *Gen. I. v. 28 d. §. feræ. Inst. de R. D.* Si verò jus Canonicum Modernumque totius Imperii statum penitus perlustremus , contrarium Statutum esse facili operâ demonstratum ibimus. Jus Canonicum quod attinet , Clericis quidem potestatem piscandi concessit , venandi è contra ademptum voluit , nam quo cruentius est jus venationis , eo videtur magis , ab humanitate esse alienum *l. cruenta spectacula C. de Gladiat. l. II.* tūm quod venatio plerumque fiat cum clamore , piscatio silentio , quod clericos magis decet ; tūm quod venatio voluptati annexa pias cogitationes sæpè in transversum trahat, tum in canes haud exigui sumptus impendendi : Clerico magis enim pauperes , quam canes enutrire convenit , item quod pisces non adeo Venerem latitantem , ut ferina , prodant. Tandem cum & Apostoli sancti piscandi munere functi. Esau venationi deditus peccator habitus : meritò jure venandi abstineant. *c. Esau. dist. 86. & ibi gloss. c. nunquam. dist. 5. de consecratione.*

TH. XIII.

Hinc in concilio Aurelianensi omnibus Dei Servis , Venationes & sylvaticas vagationes cum canibus , & accipitres aut falcones habere interdictum , est & contra faciens

56: (II). 90

faciens Episcopus quidem tribus mensibus , à Communione ; Clericus vel presbyter duobus mensibus , ab officio , Diaconus ab omni officio suspendendus c. i. & 2. de cler. venat. c. i. dist. 34. ut & Subdiaconus annotante ibidem Hostiens. Alii vero minores Clerici , cum nulla poena certa constituta , Judicis officio reliquuntur puniendi , Menoch. de arbit. jud. cas. 413. num. 18.

TH. XIV.

Quod si vero sicut Clerici , ut legitimæ suæ vocatio-
nis non sint immemores , nec pictatis opera ptopterea ne-
gligant , venationi insistant , non video cur à venatione sim-
pliciter & purè debeant arceri . Nam & Panormitanus pu-
tat non multum Cleticos peccare , si rarissimè recreationis
aliqualis causa venationem exerceant Panorm. in d. cap. I.
De Cler. venat. Sebāst. Medic. in Tract. de venat. in quest. I.
part. I. num. 5. tum etiam quod concessum Jure divino ,
Jure naturæ & gentium §. feræ. Inst. R. D. l. 2. 3. ff. A. R. D.
atque etiam civili l. unic. C. de venatio. fer. lib. II. maneat
usus , tollatur abusus , VVesenb. in parat. ff. de Acqui rer. Domin.
num. 7. Giph. in Disp. de distrib. jur. paregg. 2. Menoch. de arb.
Jud. Quest. casu, 413. Hæc ita Jure Canonico circa Cle-
ricos.

TH. XV.

Rusticos quod attinet , ijs ex Constitutione Fride-
rici Venatio primùm adempta exceptis quibusdam anima-
libus , quibusdam verò pro beneficio concessa c. un. §. si quis
rusticus , vers. nemo retia. de pace, ten. Tandem profectâ ho-
minum aviditate , venaticæ rei dignitas , in ordinem quasi
redacta , ac paucorum opportuna oblectatione cohibita,
ita ut Magnates tantum plerisque in locis deceat , plebeis
prorsus exclusis , nimirum ne multitudinis promiscuâ in-
secta.

sestione oppressæ feræ deficerent, nevē agricultura ope-
ræque magis in commune utiles, exercitii dulcedine, negli-
gerentur. Accessit latrociniorum metus, quibus nemo.
ra armorum usu facile infestantur. Quæ & similia infrà
longius enucleantur. *Vid. Klock. tr. de aerar. lib. 2. c. 5.*
num 2. & seqq.

TH. XVI.

Hinc Quæstiones diversæ moveri possunt, & Pri-
mò quidem, an privatis rectè sit adempta venatio? &
utrum à Principibus venatio subditis prohiberi possit? Ne-
gativam opinionem qui tuentur, nituntur his fundamen-
tis. 1. Quia venandi libera potestas, jure divino morta-
libus tributa. *Text. Gen. i. vers. 26. ibi: præsit piscibus maris*
& volatilibus cæli. item Gen. 9. vers. 2. Ubi Deus dixit Noa-
cho. timor vestri, terrorque vestri in esto omnibus bestijs
terræ. quibus super addunt Text. Levit. 17. v. 13. ibi. si venatione
atq; aucupio feram ceperit vel aven quibus vesci licitum est fun-
dat sanguinem ejus. 2. Quod jure naturali seu naturaliter, ho-
mini in bestias dominium concessum, & quod jure natu-
rali, quod est commune omnium nationum, vt dicitur,
c. jus autem naturale 7. dist. 1. tribuatur acquisitio eorum,
quæ cœlo terrâ marique capiuntur. Quarundum enim re-
rum dominium inquit Catus in l. 3. ff. de acqu. rer. domin.
nanciscimur jure gentium, quod ratione naturali, inter
omnes gentes per æquè seruatur, cum illud quod nullius
est, ratione naturali primo occupanti concedatur, imò
quod magis, cum non intersit quoad feras bestias utrum
in suo an in alieno capiat d. l. Adhæc dominia rerum ce-
pisse ex naturali possessione & hæc protinus ejus sunt, qui
possessionem nactus primò fuerit l. 1. §. 1. ff. de acq. poss. 30
Quod jure nostro Justinianeo sæpiissimè rescriptum sit, non
posse

fol: (13) f. 25

posse quem prohiberi piscari, sed nec aucupari in l. 13. §. fin.
ff. de Injur.

TH. XVII.

Affirmativam sententiam sequentes, cui & calculum nos adiicimus, his præcipue argumentis moventur
(1.) Quoniam quilibet rerum suarum liberrimus arbiter
& moderator l. in remandat: C. de Mand. Sic ut is qui alienum fundum ingreditur, venandi, occupandi que gratia, possit à Domino si is providerit, jure prohiberi ne ingredetur. l. 3. §. i. vers. plan. ff. de A. R. D. Quod verò principes sylvarum, & aliorum locorum publicorum, quos, ad se Transtulerunt, per occupationem Domini facti sunt, satis superque patet ex l. 2. Ne quid in loco publico l. 9. ff. ad l. Rbod. de jac. l. 2. C. de quâ drienni præsc. Meritò igitur jure sibi atrogato prohibere ipsos potuisse, ne quis venandi vel aucupandi gratiâ ingrederetur nemo sanus negaverit, cum ejus præsumantur bestiæ, cujus territorium est Text. in cap. 27. vers. 6. Hieremie & Daniel. 2. vers. 38. (2.) Omnis constitutio confirmans & stabiliens pacem publicam est servanda. Auth. res quæ C. communia de legatis l. vnic. §. hæc autem omnia C. cad. tollend. C. de un. §. imperialis in princ. de prob. Feud. per Frid. lib. 2. Feud. tit. 52. & 55. & cap. unic. de pace tenend. Nov. de hered. & Falc. 18. c. 1. Nov. de armis. 85. Ad constitutio hæc talis est, quæ pacem publicam stabilivit C. un. de pace tenend. l. 2. tit. 27. §. post natalem 4. vers. si quis rusticus. & vers. nemo retia; ibique feudistæ communiter, Sic meritò servanda. Ut armorum usus privatus optimo interdictus censi possit cum venatio videatur rei militaris Comes, & meditatio rerum bellicarum. Ac in venatione omnia bellica annotante post alios Anton. Perez. ad Cod. de veneat. fer. exerceantur. Discunt enim inquit equita

re, currere, atroces feras prosequi, æstum, frigus famemque pati. Ideo *Plato. lib. 4. de legibus* optimam judicat esse venationem quæ equis, canibus & corporis viribus peragitur, imò necessariam dicit in provincijs, ubi magna ferarum est copia, ratio ne incolis damnum inferant. Quod Principibus magis convenire videtur.

TH. XVIIH.

Sic etiam (3.) constat. Rempublicam vix absque agricultura aut commercijs consistere posse, ab his enim dum studio venationis incumbant, & avocentur privatis, præstatio itidem annonæ deficeret publicæ. Summæ itaque Prudentiæ & Autoritatis Plato apud Græcos tradidit libro 2. πολιτείας ea esse civilis conversationis sive Reipublicæ: summe necessaria. Indiget enim Civitas pluribus, utique rusticis, & alijs opificibus, & alijs ministratoribus: Itemque his qui invehant & evehant singula, alii que agriculturæ sedulò vacent, l. 1. Cod. de coll. fund. patrimon. & emphyt. lib. II. nulla itaque ratione debent ab hoc communibus profuturo distrahi l. si merces. 25. §. conductor omnia ff. locati. l. I. C. ut. rusticani ad nullum obsequium devocentur. dict. libr. II. Vesenb. ff. A. R. D. num. 7. Tyraq. de nobil. c. 37. num. 150.

Th. XIX.

Species itidem, si cuilibet indifferenter bestias venari capere permisum, prorsus & totaliter interirent. Wesenb. d. l. Frid. Pruckm. §. venatio. num. 23. Eberh. Speckhan. cent. I. quæst. 97. §. 9. Et cùm pertineat ad pacem publicam, ejusque tranquillitatem, jus venaturæ non omnibus est commune argum. l. 77. §. 20. de leg. 2. l. 26. de serv. V.P. l. 13. §. æquissimum. de usufruct. Wesenb. d. l. Pruckm. d. §. venatio. num. 25. & seq. Speckhan. dict. q. 97. §. 10. Videmus enim, experientiaque quotidiana edocemur, quantæ in limita-

mitaneis , inter confines rixæ lites exsurgent, jure venandi utentes , si fortassis ab altera vulnerata , ab alio capta sit , Quid verò futurum esset , si cuilibet indifferenter venari liceret ?

XX,

Nec quenquam movere debent, quæ in contrarium allata , nam quantum ad primum sciendum , omnem herbam fruendam homini cādem lege dedisse Deum, ejusque dominio subjecisse , *Gen. cap. 1. vers. 29.* quam tamen singuli hodiè sibi vendicare non possunt, sublatà videlicet post lapsum bonorum communione. Præterea si textum istum Biblicum intigeremus de hujusmodi dominatu , qui in occupatione vel venatione ferarum consisteret , inde absurdum illud sequeretur , quod non tantum fera , sed mansuetæ quoque animalia , tanquam communia , à quovis occupari possent. Quare nt inconveniens istud evitetur , dicendum potius, hoc sibi velle dominatum illum , ut omnes bestiæ , quantumvis ferocissimæ , hominem tamen metuant , & expavescant , eumque ceu dominum suum reverantur , uti colligere licet ex verbis *Gen. cap. 9. vers. 2.*

TH. XXI.

Secundum quod attinet fundamentum , ex Jure Naturali & Gentium petitum , quod ne summus Princeps ea possit tollere, nihil nobis negotii facessit ; Potest enim responderi, distinguendo inter *Ius naturale Positivum & Negativum*, Principem illud nullo prorsus modò , hoc , ad quod venatio refertur, tollere posse, tradit, *Dom. Soto. lib. I. de Inst. & I. quest. 4. art. 5.* Nec abludit *Hugo Grotius. de Iure belli. & pacis. libr. 2. cap. 2. num. 7.* Lex enim civilis inquit , quanquam nihil potest præcipere , quod jus naturæ prohibet , aut prohibere, quod præcipit , potest tamen natura-

turalem libertatem circumscribere, & vetare, quod naturaliter licebat , atque etiam ipsum Dominum naturaliter acquirendum vi suâ antevertere. *Videantur præterea Iohan. Wurmbſ, nucl. jur. controv. libr. 2. tit. 1. controv. 5. Et Ant. Perez. in C. tit. de venat. ferarum. num. 7.* Nam inquit, quod aliqui existiment, eam non posse prohiberi , quod sit juris naturalis , id intelligendum de iis, quæ natura jussit, vel vetuit ; non etiam de iis, quæ permisit, & per inferiora iura mutari possunt. Indè liquet , quod dominiorum (quorum jure naturæ erat communio) inducta sit distinctio per jus gentium. Neque de Jure Gentium feræ bestiæ volucres, cœteraque animalia eo modo omnibus dicuntur communia , quod in communi omnium dominio posita censcantur , sed quod nullius Dominio sint subjecta : Qualia Principes optimo jure, justâ causa interveniente, privatis interdicere , certoque hominum ordini attribuere potest. *Covarr. iu c. peccatum. part. 2. §. 8. num. 1. de R. I. in 6to Harpr. ad §. 12. Inst. de R. D. num. 10.* Accedit, quod Principes pro salute subditorum noctes & dies molestias subire teneantur. ut inquit Seneca. in Consol. ad Polyb. c. 26. *Omnium domos Cæsaris vigilia defendit. Omnia otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio &c.* Quis ergò Principibus invidere vellet , leviculam venationis voluptatem, quam ipfis remunerationis loco tribuendam summa æquitas postulat, ut sicuti ii periculis & molestijs soli expositi sunt, ita recreandi animum, facultatem præcœteris habeant. *Henning. Arnis. de jurib. Mai. min. c. 4.* præser-tim cum venatio principum genio maximè conveniat, speciem non parvam fortitudinis præferat, & similitudinem quandam cum re bellicâ teneat. *Tirag. de nobil. c. 37. num. 139. Geil. 2. Obs. 67. n. 1.*

Th. XXII.

TH. XXII.

Nec obstat (3.) Quod nec civili quidem jure prohiberi quis possit, piscari, venari, aucuparive. *l. in juri-am 13. §. final. ff. injurijs & simil.* Illud enim non de prohibitione Magistratus, sive Principis, sed de prohibitione privatorum hominum exaudiendum. *Pruckman d. §. venatio num. 12. Speckhan. d. q. 97. §. 36. Zoannet. de dupl. venat. num. 95.* Idque inde constat, quod adversus prohibentem actio injuriarum concedatur. Absurdum autem dictu videtur, subdito adversus principem vel Magistratum eâ de causâ competere actionem injuriatum. *Quin & all. l. 13.* non incommodè accipi poterit de jure piscandi, venandi, & aucupandi, quatenus adhuc alicubi commune est, non etiam occupatione vel præscriptione, aliovè titulo à quibusdam acquisitum. *Bocer. tr. de Regal. c. I. num. 68.*

TH. XXIII.

Hodiè igitur privatis venari, regulariter non amplius licet, sed spectat hoc jus meritò ad principes, Quo jure, sive titulo illud acquisiverint! non concors omnium Dd. est opinio & sententia. Quidam enim longissimi temporis præscriptioni, eamque subsecutæ vel præcedentis subjectorum patientiæ ascribunt. Verùm cùm venatio, vt pote ex jure gentium ortum trahens, habile præscriptionis objectum esse non videatur, cum subditi jus illis debitum contra Principes imperio & majestate pollente, defendere, seque in eo conservare non potuerint, dubitari posset, an subditis, patienter in principio prohibitiones eas admiserint, aut potius coactione & metu, quām spontaneā assensione principum placitis acquiescere voluerint *Vasq. Illustr. controv. l. 2. cap. 8. 83. num. 27.* Nulla enim præscriptio absque fundamento locum habet, cum nulla annotante *Gilio*

C

2. obs.

2. obſ. 105. num. 6. Mora aut negligentia subditis imputare possit , & proinde præscriptio invalida l. genero. 8. ff. de his qui not. inf. Alii nudæ occupationi accensent. Alii verò superioritatis Jure Principibus competere venationem existimant. arg. l. 15. §. 2. ff. de R. V. l. II. ff. de evist. l. 6. ff. de Inst. & jur. l. I. ff. de uſūcap. ex ratione, qui Imperium habet in terras & aquas , ejus etiam lege impediti posset , ne quibus vis feras capere & capiendo acquirere liceat : atque hac lege exteri etiam teneantur. Ratio est, ait Grotius de jur. bell. & pac. l. 2. c. 2. num. 5. quia ad Gubernationem populi moraliter necessarium est , ut qui ei vel ad tempus se admiscent , quod fit intrando territorium, ii conformati se reddant ejus populi institutis. Neque verò facultas illa occupandi feras cuilibet olim perinissa , ipso jure naturæ est constituta : sed cum feræ ante occupationem non possunt esse in dominio, nec jus occupandi esset interdictum , ideo jure gentium cuilibet occupanti relictæ l. 14. ff. de A. R. D. §. 12. Inst. eod. Struv. Exer. 4: ff. Thes. x. Add. Syntag. Juris Feud. c. 6. apor. 7. num. 3. Suth. diff. 4. coroll. 4. Quæ omnes sententiæ suâ nituntur ratione ac prorsus absurdæ non videntur, maximè si vel generalis consuetudinis , vel supremæ Majestatis , vel alterius alicuius juris ratio habeatur.

TH. XXIV.

Quâ de causâ non inconvenienter hodie plerumque vasallis ab aliquo Feudum recognoscentibus, jus vendandi in literis investituræ tribui solet? An verò concessa majori venatione, das höhe roht vnd schwartz Wildsprähe sit etiam concessa venatio minor, quæri solet? Quod negamus, cum talis concessio, quæ ad certam speciem apertè directa est, extra eandem speciem non patiatur interpretatio-

tionem, ubi autem verba sunt clara & perspicua, interpretatione non admittitur l. 25. §. 1. ff. de leg. 3. l. 137. §. 2. in fin. ff. de Verb. Oblig. Cum igitur in hâc concessionis specie modus sit appositus, ut videlicet liceat tantùm maiores capere feras, non poterit is, cui facta talis concessio, hunc modum transilire, arg. l. 5. ff. Mandati. Besoldus tamen in Thes. Pract. verbo, Jagd/ Jagt-Recht. Distinguendum putat, ut cui competit die hohe Jagtbarekeit vi jurisdictionis Territorialis, in Krafft der Forstlichen vnd Lands- Obrigkeit/ is etiam habeat jus capiendi feras minores, non item si alio jure particulari habeat, das hohe Wildpreß Jujagen/ secundum cuiusvis loci consuetudinem.

Th. XXV.

Sic etiam ex jure facile evinci potest, facta generali, indefinitâ, ac simplici venationis concessione mit allen Jagds-Gerechtigkeiten / non tantùm majorum, sed etiam minorum ferarum indagationem censeri indultam, tum, quod generalis illa ac illimitata concessio generaliter absque ullâ limitatione sit accipienda, tum, quod in genere dicitur, ad omnes species quoque sit extendendum. Petr. Heig. part. I. quest. 15. num. 61. & seqq. Cavarr. Var. resol. lib. I. c. 13. num. 1. & seq. Regn. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 18. n. 47. Quamvis nec absonum, ut cujusvis loci consuetudo inspiciatur. Andr. Knichen, tract. de Investit. part. cap. 2. num. 19. & seqq. Ubi num. 38. dicit, Concessâ venatione majorum ferarum, roth vnd schwartz Wildpreß/ non venire venationem ursinam, Behrenjage/ quoniam in genere non transit, quod princeps vix speciatim, ac in singularem gratiam concedere assolet. arg. l. 6. ff. de pign. c. in generali. 81. de R. I. in 6. ac ille peculiariter plus æquo ursinam venationem sibi vendicet. VVehn. in Obs. pract. verb. Forst-Recht. Carpz. Jurisp. For. part. 3. Const. 32. def. 17. num. 15.

TH. XXVI.

Quandò verò aliquis jus venandi in sylvâ quâdam habeat, non est dubium, quin etiam ipsi jus competat cingendi sylvam in capturam ferarum, vulgò die **Gerechtsigkeit des Hagens/ daß er ein Hag in das Holz schlagen möge.** *Geil. 2. Obs. 67. num. 7. Bidemb. quest. Nob. 12.* Siquidem uno concessò, reliqua quoque, sine quibus illud haud commodè exerceri posset, concessa videntur. *arg. l. 2. ff. de jurisd.* Quod tamen ita intelligendum, ut, qui venatione uti desideret, ligneas plagas suis ex lignis, sine que præjudicio alterius, facere, necesse habeat, *l. 13. §. 1. ff. de S. P. R. Besold. d. l.*

Th. XXVII.

Illud etiam expeditum videtur, eum, cuius sylva alteri servitutem venandi debet, grandes & annosas arbores, magno numero, unâ vice excidere non posse, cùm indè jus constitutum deterius redderetur, quod jure prohibitum, *l. 20. §. 3. & seq. ff. de S. V. P. l. 15. §. 6. ff. de usufruct.* Hinc si Dominus sylvæ tale quid attentaverit, implorato judicis officio, remediis competentibus, prohiberi poterit. *Geil. d. Obs. 67. num. 8.* Multò ergò minus sylvæ venatoria Domino licebit, totam sylvam radicis evertere, aratum inducere, atque ex ea Novalem agrum facere, hoc enim modo tota venandi servitus inutilis fieret. Arbores tamen & ligna Dominus ad utilitatem & necessitatem cädere non prohibetur, dummodò moderatè id fiat, ac secundum consuetudinem antea observatam, ac juri venandi nullum afferatur detrimentum. *l. 10. ff. de usufr. Geil. d. l. num. 9.*

Th. XXIX.

An verò à quolibet, cui jus venandi vel ex liberali Principis concessione, vel emptione, vel præscriptione, aut alio quovis titulo competit, cedi & transferri possit in alium

alium, controverti solet inter Dd. ? Affirmantium opinio arridet, cùm omnis actio alicui competens, regulariter cedi possit, t.t. ff. de her. vel act. vend. ac jus venandi alicui competens ad heredes quoque transmittitur. Geil. 2. Obs. 66. num. 2. Nisi concessio talis merè sit personalis, aut ad necessitatem tantùm. Tunc enim tanquam personale & sub certo modo competens, cedi non poterit. arg. l.58. §.ult. ff. de usufr. Hinc etiam concludendum, Officialem, cui in salarii sui appendicem à Ptincipe jus venandi certo in loco concessum, hocce, ejusque commoditatem alteri cedere neutiquam posse, cum usus & consuetudo tale venandi jus sic interpretur, ut ad necessitatem officialis tantùm pertineat, & consequenter dissentiente aut inconsulto Principe, alteri cedi nequeat. VValth. Dissert. de Iure donat. c.3. conclus. 7. n° 4.

Th. XXIX.

Cùm autem subditis justâ de causâ, ut suprà monitum, sit adempta venatio, inquirere libet. An subditi contra prohibitonem Dominorum vénantes furtum committant? Resp. Licet gravem Magistratui suo injuriam inferendo, delinquant, Furtum tamen propriè illos haud committere, proinde nec ut fures puniendos esse, Idque his rationibus. (1.) quia furtum est contrectatio fraudulosa rei alienæ, Feræ autem bestiæ in alterius sylvâ, vel Territorio, naturali libertate vagantes, neque Principis, aut sylvæ Domini sunt, nec alterius alicuius privati, sed nullius Dominio subjectæ censentur, l.l. §. 1. l.3 §. item feras. ff. de acquir. poss. l. l. l. 3. l. 5. §. 1. ff. de A. R. D. (2) Leges prohibentes venationem, non videntur prohibere ferarum acquisitionem, asti usum tantùm venationis ex tali casu. &c. Nec obstat, quod usus etiam furtum committatur. Respondetur enim

C 3

dupli-

dupliciter, (1) Interversionem possessionis præsupponere ejus acquisitionem absque actuali apprehensione invalidam l.3. §. 8. ff. de acquir. vel amitt. poss. Feram verò in sylvis oberrantem, eo ipso quod à Principe non possideatur. l.3. §. 14 ff. eod. nec à capiente interversam non esse. (2) regula illa non ad res nullius, sed ab alio acquisitas & occupatas principaliter pertinere. vid. Mor. tract. de jure venand. c.3 n.º 1.

Th. XXX.

Nolim tamem prædicta afferere de iis, qui feras vivario inclusas capiunt, quos furtum perpetrare, pœnamq; furti, quæ ad mortem usque non extendenda, simpliciter incurrere, facile concesserim, -quùm tales feræ ab includente possideantur, ejusque Domino subiectæ intelligantur. d. l.5. §. 1. ff. de A. R. D. l.3. §. item feras. ff. de acquir. poss. l.62. §. 1. ff. de usufr. Geil. 2. Obs. 68. vid. l.3. §. 14 ff. de acquir. poss.

Th. XXXI.

Quod verò dixi, *preced. thes.* pœnam ad mortem usq; non extendendam esse, de eo casu, quo nulla certa pœna contra transgressores in genere constituta, intelligendum esse existimo, aliàs si certa pœna disertè in edicto prohibitorio definita, modò pro prima venatione capitalis non sit, sed pecuniaria, vel carceris, vel interdictio bombardarum, aut similis, aliis circumstantiis non intervenientibus ea haud dubiè inferenda erit.

Th. XXXII.

Quæ pœna, si venatores aut Feriperæ (*Wildpreis-schiesser/ ob Diebe/*) reiteratis vicibus, adeòque sæpiùs, contra Magistratus sui editum, venatibus pertinaciter indulserint, atq; ita prorsus incorrigibiles facti fuerint, aut aliæ circumstantiæ intervenerint, ad mortem usque exasperanda, non tām principaliter ratione ipsarum ferarum captarum, quām potiùs ob maximum Magistratus contemptum, ac extremam, totiesque itera-

iteratam contumaciam & proterviam insigniter malitiosam,
 aliamvē notabilem rationem. *argum.* l. 16. §. ult. l. 28. §. 10.
ff. de pæn. l. unic. *C. de superaction.* Harprecht. ad tit. *Inst.*
de R. D. §. 12. num. 315. *Carpz. prax. crim.* p. 2. *quæst.* 84.
num. 45. & seqq.

Plura quidem de Nobilissima hac Materia restant, sed
 omnia hīc referre temporis angustiā prohibeor,
 Interim

*Deo Triuni sit Laus & Gloria
 sempiterna.*

COROLLARIA.

1. **N**Ullam dari actiorem mix an tām in personam, quam in rem;
 defendi potest.
2. Fœmina semel à feudo exclusa non semper manet exclusa.
3. An liberi in conditione positi, censeantur etiam positi in dispositio-
 ne. Neg.
4. Filius duas quartas nimirum falcidiam & Trebellianicam detrahere
 nequit.
5. Stipulatio per se non inducit obligationem ad agendum efficacem.
6. Imperator in causis feudalibus inter se, & vasallum ortis, coram pa-
 ribus curiæ conveniendus est.
7. Mora rei principalis fidejussoris obligationem perpetuat quidem ,
 non tamen auget.



